

concordia inter Cæsarem atque Achomatem denuo negotium
agitari coeptum, Ernesto Molartio Budam, ut colloquia cum
hoste haberet profecto. 1605

Mari minime coercita piratarum licentia, cunctis qui sibi
rapinis quæstum quæsitabant, frena laxabantur; ut, ni acio-
ra remedia Principum adhiberentur, in dies in pejus cuncta pro-
labi necesse esset. His ductus Angliæ Rex, Anglis piraticam
penitus inhibet; edicto promulgato, Britannos Scotosque, te-
terrimum quæstus genere relicto, domum redire jubet: bono-
rum invasions, quas *represalias* vocant, prorsus vetat: ne
navarchis ac nautis, qui in Angliæ portus se se receperint,
vis inferatur, præcipit; qui prædones pœnis coerceant, deque
gentis more summo afficiant supplicio, statuit. Insuper, na-
vigiorum numero conflato, maria excurrere, atque in genus
id hominum invehi jussit, qui negotiatoribus præsidio, præ-
donibus exitio sint. Naves bellicas exterorum Principum in
Anglicanos portus tempestate delatas in tuto consistere de-
cernit; litorum oppidorumque maritimorum incolis, ne latro-
ciniis ablata aut quæsitæ coemant, recipiant, negotientur, in-
terdicit. Ejus edicti per Henricum Hutonium, legatum, Sena-
tum certiore facit: addit, in ejus gratiam adjectum sancitum-
que, ut si forte Venetæ triremes aliave navigia in Anglicas
naves inciderent, ni amicitiae signa edant velaque demittant,
in eas uti hostiles impetum facere, pugnare, demergere liceat.
Id Patribus, qui sæpius de Britannorum injuriis damnisque
illatis conquesti fuerant, pergratum extitit, summæque Jaco-
bo Regi præclare in Rempublicam egregio argumento testatæ
voluntatis gratiæ actæ. Ab Anglo hæc in Senatus gratiam facta.

Anglus Res
piraticam
Anglis præ-
hibes.

At Hispaniarum Regis præfecti non secus ac fervente bel-
lo in navigia Venetorum impetum faciunt. Sanctæ Crucis
marchio Neapolitanarum, Castellæ præses (*Adelantadum* vo-
cant) Sicularum triremium ductores, explicatis vexillis, in-
vehuntur; navarchos exquisitis tormentis excruciant; vi Chri-
stianorum bona quo rapinis fucum quærant, Judæorum Tur-
carumque esse extorquent. Hæc Venetias allata, rei indigni-
tate atque insolenti ausu cunctorum animos percellunt. Pa-
tres nihil prætermittendum, ut perfracta audacia reprimat-
ur, statuunt. Graviter cum Cardineo legato expostulant:

Hispani
præfecti
damna Ve-
netis navi-
giis infe-
runt.